UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 56. Simonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66406

Visual Library

Sæcul. XIII. A.C. 1215.

mus; ut cum dedicatur Baſilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, ſive ab uno ſolo ſive a pluribus Epiſcopis dedicetur. In anniverſario deinde Dedicationis tempore, aut quibuscunque aliis ex cauſis, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat, cum ipſe Romanus Pontifex, Eccleſiam conſecrans, hoc moderamen obſervare conſueverit. Nempe jam tunc incommoda ex nimia Indulgentiarum copia naſcitura Pontifex proſpiciebat.

§. LVI.

Simonia.

Ubi de Simonia agitur, Concilium ſuperioris Concilii Lateranenſis Decreta confirmat, & primo damnat Epiſcopos, qui pro conſecratione Epiſcoporum, Fratrum ſuorum, Benedictione Abbatum & Ordinatione Clericorum pecuniæ perſolvendæ ſummam ſtatuerant, atque hanc turpitudinem per conſuetudinem longo tempore obſervatam defendere nitebantur. *Præterea audivimus*, inquit Pontifex, *de quibusdam Epiſcopis, quod, decedentibus Eccleſiarum Rectoribus, ipſas Interdicto ſubjiciant, nec patiantur alios parochos inſtitui, donec ipſis certa pecunia detur.* Contra parochi pro ſepultura, pro nuptiis, aliisque ſuis miniſteriis pecuniam exigebant, quod

Conc. Lat. III. 7. 10.

Sur. lib. LXXIII. §. 21.

Conc. Lat. IV. c. 63 ſicut. 39. de Sim. c. 63. audivimus 41. eod.

Sæcul. XIII.
A. C. 1215.

quod Concilium fieri deinceps prohibet. Non nulli vero Laici, pietatis ſpecie, laudabilem conſuetudinem bonorum ſuorum partem per donationem Eccleſiis tribuendi abrogare conabantur; quod omnino a perverſis principiis Hæreticorum, nempe Waldenſium & Albigenſium proficiſcebatur, qui nihil Eccleſiis, nihil Clericis donandum clamitabant. Vult ergo Concilium, ut Sacramenta gratis conferantur, ſed etiam Epiſcopi, cauſa cognita, illorum audaciam reprimant, qui nequiter nullum non lapidem movebant, quo pias conſuetudines abolerent. A Simoniæ vitio præcipue Moniales revocantur, *quoniam*, inquit Concilium, *labes iſta bas ita infecit, ut vix puellas ſine pretio recipiant in ſorores, & avaritiam pallio paupertatis tegant. Statuimus igitur, ut quæcunque hanc pravitatem admiſerint, ex monaſterio ſuo expulſæ, in locum arctioris Regulæ ad agendam perpetuo pœnitentiam detrudantur. Maximum enim eſt Simoniæ crimen. Hoc etiam a Monachis & aliis Regularibus decernimus obſervandum.*

c. 66. *Ad Apoſt.* 42. *eod.*

c. 64. *quoniam* 40. *de Simon.*

§. LVII.

Alia Concilii Univerſalis Decreta.

Ultimi Concilii Lateranenſis Canones ad Judæos ſpectant, ac præter alia præci-